


	PAG.
clica de pacis	104
encyclae de	
octore	160
encyclae de	
mo Edesseno,	
ndo	178
clica de pue-	
iterum adiu-	
·	195

<i>Francesia</i>	143, 180
<i>for).</i>	
·	14
·	32
·	50
·	51
descens	70
·	71
·	88
·	88
·	89
·	102
·	103
ocant	123, 141
·	158
e	158
·	176
·	177
apposita	177
·	193
arbonensi	194
24, 141, 159, 177, 194	
·	103, 124, 142, 159,
·	177, 194

illempnia in ho-	
ofbauer Vindo-	
·	64
(I. F.)	76
·	81, 98
entis (J. Tasset)	82
e monumentum	
moriam Ioannis	
francesia)	99
a religione co-	
alpinis quartum	
redimitur (Sub-	
·	117
e professionis	
os (I. B. Fran-	
138, 154, 172, 189	

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
CORSO UMBERTO I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Cagliari - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Castellamonte - Castelpuovo di Carfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Figline Val d'Arno - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Gailicano - Gallipoli - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lecce - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Messina - Milano - Modica - Mondovì - Monteleone Calabro - Montesampietraneli - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Palermo - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Roma - Salerno - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ¶

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
 pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI Communia vitae. Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2.

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. - Lib. 1,50.

A
L

Pretium annu
pro Hisp
nalis et C
ante solve
Governo

Octav
egemus ad
quimur. In
rebus, nunc
affulgere v
quidem ar
inconcussa
quando pe

Neque
comitati; r
accessuri,

ALMA
mentorum
tudo exerc
incongruen
proposuimus
unici inter
atque sem
mendos.

Erit ita
nuatio; eon
circa ea q
dine, morbi
conii modi

aedibus

- Arezzo - Ascoli
 - Benevagienna -
 - Cipiglia Marittima -
 - di Carfagnana -
 - di Castello - Colle
 Figline Val d'Arno
 Chianti - Gallicano
 - Luserna S. Gio-
 nteleone Calabro -
 Oneglia - Orbetello
 Agnano - Pontedera
 - S. Maria degli
 - Torre Annunziata
 o.

inch in Hispania -
 Mazar, Beni Soueff,
 Mit Gamr, Zagazig
 Syria - Gerusalemme
 Minore - Rodi in

iae sunt.

ociis

enum dantur,

ad latina col-

De valetudine

um, Milesiae
 is. - Singulae

. - Si tegu-
 lib. 4.

iones drama-

a. - Lib. 1, 50.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

“ALMA ROMA,,
 IN ANNUM MCMXXI

Octavum vitae annum ineuntes, non promissionibus magnisque verbis egemus ad proposita nostra explananda, quae tam diu invicto animo persequimur. Invicto animo diximus, quia ab adversis, quas usque nunc passi sumus rebus, nunquam fracto. Quod si spes illae, quae nobis ex oriente superiore anno affulgere videbantur, ex temporum iniuria re sunt nondum confirmatae, haud quidem animo deficiemur, immo maiore sollicitudine atque studio, fideque inconcussa magis, quantum est situm in nobis, contendemus, quo tandem aliquando perficiantur.

Neque id dubitabunt humanissimi viri, qui nos ab initio vel per viam sunt comitati; nostrum erit ut qui his diebus socii accesserunt, vel proxime sint accessuri, eadem nos in posterum dilectione prosequantur.

ALMA ROMA igitur in an. MCMXXI summopere curabit non solum ut in argumentorum varietate unitatem tum mentis tum animi conservet, sed ut consuetudo exercitatioque maxima latinitatis a lectoribus suis capiantur, ita ut haud incongruens supremus ille finis appareat, quem nobis opus hoc adgradientibus proposuimus, nempe ostendendi Romanam linguam altricem et vivificatricem unici inter doctos homines sermonis adhuc esse posse, quippe quae nobilis sit, atque semper dives, aptaque ad omnes vel hodiernae vitae conceptus exprimendos.

Erit itaque rubrica illius « Communia vitae » nunquam intermissa continuatio; eorumque messem deinde in fasciculos colligemus, quemadmodum et circa ea quae superiore tempore edidimus *de salutatoriis formulis, de valetudine, morbis et medicamentis*, non modo in sociorum commodum, sed ad praeconii modum et formam, iam fecimus.

Quo autem in aperto magis fiat nos non ramum iam excisum atque sicum arbori inserere velle, sed evincere potius arborem illam virentibus patulisque ramis indesinenter per saecula germinasse, et adhuc germinare, selecta ex bibliothecis et archivis passim in nostris paginis referemus, quae proprius ad hanc provinciam accedant, et faciant planum necessitatibus omnium temporum latinam linguam suffecisse.

Restat ut operi nostro sociorum favor respondeat; quos singulos iterum iterumque rogamus ne dedignentur tum pretium subnotationis suae quam citissime solvere, tum virum saltem unum (neque erit difficile dummodo velint, eum inter amicos reperire) in subnotatorum notam ex parte sua adstruere, ita ut sociorum nostrorum numerus, et sine labore, fiat brevi geminatus.

De subnotationis autem pretio eiusque aucta necessitate et ratione fusius in superioris mensis Decembribus fasciculo scripsit noster Administrator, nec quidquam hodie addemus; satis fiat pretiorum illorum mensuram repetere, quae est prouti sequitur:

Pro Italia	lib.	12 —
» Gallia, Helvetia, Belgica	franc.	15 —
» Hispania.	peset.	15 —
» Graecia	drachm.	15 —
» Batavia	flor.	7,50
» Anglia	shell.	12,50
Pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada	doll.	3 —
Pro ceteris nationibus erit summa Gallicos francos 15 exaequans.		

In mentem insuper revocamus leges circa consociationem iam pridem a nobis positas, omnino vigere, scilicet:

1) *Consociatio ad anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit - (quod nullo impendio facere poterat, siquidem quae a publico cursu tradita recusanter, gratuito ea ad mittentem restituuntur) - tamquam socius valide reputabitur.*

Monemus pariter socios, et veteres et recentiores, apud administratoriem nostrum acquirere sese posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas, scenis apud ephebea facile agendas, *Fridianum* et *Francisculi prandium*, singulas pretio libell. 1,50; ambas pretio libell. 2,50; tum Herminii Iacobelli opus, cui titulus *In campo latitudinis novi flores*, recentiorum rerum lexicon parvum itemque utilissimum, pretio lib. 3 si tegumento solutum; libell. 4 si xylina structura aureoque titulo eleganter ita contextum, ut memoriae ergo atque donationis praemiique gratia optime offerri possit. Hisce hodie additur *opusculum novissime editum COMMUNIA VITAE*, de quo superius mentionem fecimus, pretio libell. 2.

De Encyclopaedia Latina conficienda

Rectissimam mihi videtur *Subalpinus* in *Almae Romae* anni superioris fasciculo XI dixisse de *Esperanto* sententiam. O utinam redeant illa tempora, quum totius orbis, sicut omnes gentes una religione, ita una continebantur lingua! Adolescentes, quoties ad divinas vel humanas disciplinas perdescendas e Polonia transire in Italiam malebant vel in Galliam, non veniebant ad barbaros, quorum non inteligerent linguam, sed idem robur Latinum sonabat in Gallia, idem in Germania, idem in Italia. Utinam ad linguam non *Esperanto*, sed Latinam revertantur nationes universae, praesertim quum etiam nunc antiquorum Romanorum libri adulescentibus, qui ad humanitatem formantur, sint in manibus!

An vero non indigna, sed hodie per vulgata res est, ut, qui septem annos et amplius consumpserint in grammatica Latina et in scriptoribus Latinis, quod magno opere comparaverint, in usum vitaeque actionem non transferant? Hi, quoties abs te invitantur, ut tecum loquantur latine, paupertatem verborum clamant. Linguam Latinam, huic aetati tot ornatae inventis *technicis* et *electricis* et *magneticis* accommodatam non esse.

Quid istis respondebimus?

Licet incitatius incipias verba proferre de re qualubet, ut videlicet intelligatur Latina copia, tamen te in certas poterunt avocare loquendi provincias, ubi multarum notionum vocabula a te frustra exigantur. Quod ego, qua dicam sententia, illico patebit, si semel narrare cooperis, quidquid noveris de pyro electrico, cuius lucifero filo haec dispergitur lux, qua hibernarum noctium pelluntur tenebrae, vel de telegrapho. Redde, si molestum non est, Latinis verbis ea, quae a physicis de

fluminis electrici natura, fonte, circumductione disputantur; adde, sis, quibus machinis signatur electrica vis et quibus excipiatur atque conservetur; da nomina earum partium, ex quibus istae machinae componantur.

In qua re, quum te vocabulorum satis pressit inopia partim, partim inscitia, artis photographicae te percontabor vocabula et « cinematographicae », postea te ducam in officinam odontoiatri (ecquid non *dentistae*?) et in fabricam casearium; inde in fodinam carbonum descendemus, postea in coetum senatorum hodiernum, ubi centrum, dextram, sinistram audiemus, ibimus: quot his locis omnibus intuebimur res, quam multa ante oculos videbimus peragi, quot voces nostrum circumsonabunt caput, in quibus rebus appellandis latine vel haereas, vel etiam deficias! Quid? Iam vestimentorum tuorum, quae hodie adhibes, Latina enumeratio indundique ratio aliquantum ad exprimendum habet difficultatis.

Sed ne videar transisse ad linguae Latinae adversarios, quo ego rem deducam, breviter accipe. Opus esse nobis intelligo Latina encyclopaedia, id est vocabulario, cuius verba singula plus minusve describantur. Hic verba nova, vel novarum rerum antiqua vocabula exponenda, additisque, ubi conducere videtur, imaginibus illustranda. Est in manibus eius generis liber Gallicus, qui inscribitur *Petit Larousse illustré*. Hunc librum quoties verborum aut rerum quaero definitiones, evollo, neque unquam fere frustra. Huius utinam libri exemplum Latinum aliquis aliquando nobis offerat! Hunc, qui componat librum, immortalem sibi pariat gloriam, huic omnis grata erit posteritas.

Et quoniam nemo negare potest magnum numerum vocabulorum desiderari rerum maxime technicarum, ego hanc censeo operis conficiendi rationem instituendam. Qui operosissimam rem subibit,

suae nationis lexicon encyclopaedicum Latine atque eleganter tractabit. Verborum Latinorum ordinem dabit Forcellinius. Novarum rerum nomina adsumantur ex illis linguis, quae Latinam etiam nunc referunt, ex Hispanica, Italica, Gallica, et ex Graeca, vel deriventur ex usitatis Latinis vocabulis. Memini me abhinc annos viginti leguisse in «Praecone Latino», qui commentarii latine scripti Philadelphiae edebantur, duo novata vocabula: *convolvulum* et *recitabulum*. Hoc inventum nomen erat *grammophonio*; convolvulus dicebatur stilos tabaceus, quem, qui sumum ducunt, ore excipiunt, et vulgo *cigaro* nominamus. Quis ibit infinitas haec nova nomina aptissima esse ad significandam rem? Quid nos impediet illam machinam, qua onera vel homines ex ima domo in secundam eiusdem domus, vel in tertiam evehuntur contignatione in et ultra Gallorum, Hispanorum, Italorumque voce, *ascensorium* vocare? Quam meliorem dabis vocem pro *accumulatore* et *conductore* in re electrica?

Porro in encyclopaediam unaquaque natio sibi faciet ducem, idest verborum ordinem alphabeticum ita, ut singulis vulgaribus vocibus encyclopaedicae adiungantur.

Neque vereor, ne quisquam id genus libri negare audeat utilitatem. Iam igitur, qui huic operi manum possint imponere, quid sint facturi, deliberent. Opus erit ingenio atque impigra industria non unius hominis, qui sane totius vitae spatium in hanc unam rem impenderet, opus erit pecunia. Quamquam mihi dubium non est, quin id opus a multis scholis privatisque hominibus emeretur. Neque enim omnis est extinctus amor Latinitatis. Sed quicunque rem arduam praestiterit, sibi statuerit monumentum aere perennius.

Ex aedibus S. Wendel, Saar.

ANDREAS HABERL.

DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS¹

V. — Sidera noctis.

Usque ad nostram aetatem omnibus hominibus adeo adamata sunt sidera noctis, vix ut mirari possimus, si permulti poëtae ea frequentissime carminibus suis immisceant. Figura lunae est apud MOSCHUM (II, 88): ἄντυγος ἡμιτομοῦ κεραῆς ἀπέκυκλα Σελήνης. OVIDIUS (*Met.* III, 182): *Falcata novissima cauda est, qualia dimidiæ sinuantur cornua lunae.*

Clarum lunae candorem primus laudavit HOMERUS (I, 374): (*σάκος*) τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γένετ' ἥντε μήνις; postea THEOCRITUS (II, 79): στήθεα δὲ στίλβονται πολὺ πλέον ἢ τὸ Σελάνα; quam imaginem paullo mutavit HORATIUS (II, 5, 18):

*Non Chloris albo sic humero nitens,
ul pura nocturno renidet
luna mari.*

Nec non pulcri versus (Ov. *Her.*, 17, 77): *Unda repercussae radiabat imagine lunae, et nitor in tacita nocte diurnus erat.*

LYGDMAM quoque in descriptione pulcrae puellae luna utitur, qua mihi non tam album corporis colorem, quam totius figurae nitorem exprimere voluisse videatur. Etenim quum dicat (4, 29): *Candor erat qualem praefert Latonia luna et color in niveo corpore purpureus*, vix credere possum quod in hexametro imaginem à luna desumptam expresserit, idque eum in pentametro simplici voce *niveus* significasse.

Imago lunae, cui omnes stellae cedant, exstat (Ov. *Her.* 17, 71) quum Leander lunam alloquitur: *Quantum cum fulgens radiis argentea puris, concedunt flammis sidera cuncta tuis.*

¹ Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXX.

Eandem imaginem iam antea non solum HOMERUS usurpaverat (Θ, 552): Ωδὸς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἀστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελίνην φαίνεται ἀριτρεπέα, ὅτε τὸ ἔπλετο νήνεμος αἰθήρ; sed etiam SAPPHO (fr. 3):

ἀστέρες μὲν ἀμφὶ κάλαν σελάναν
αὖθ' ἀποκρύπτοισι φάεννον εἶδος,
... ὅπποτα πλήθισα μάλιστα λάμπῃ
γᾶν...
..... ἀσγυρία

Ut particula μὲν satis docet, non potest esse, nisi similitudinis fragmentum.

HORATIUS quoque ante Ovidium eadem imaginem adhibuit (I, 12, 46):

*Micat inter omnes
Iutium sidus velut inter ignes
luna minores.*

In epodo vero (xv, 2): *Caelo fulgebat
luna sereno inter minora sidera.*

Quos autem loci Ovidiani fontem esse putat Washietlius versus LUCR. (III, 1042-44):

*Ipse Epicurus iit decurso lumine vitae,
qui genus humanum ingenio superavit et omnis
restinxit stellas exortus ut aetherius sol.*

huc non pertinent, quum non pulcruis inter minores stellas exhibeant sidus, sed solem ortu *stellas restinguenter*. Fons autem hi versus omnino esse non possunt, quia imago iam antea apud Graecos exstat. Ita LEONIDAS TARENTINUS (*Auth. Pal.* IX, 24):

*Αὐτρα μὲν ἡμέρωσε καὶ ιερὰ κύκλα σελήνης
ἄξονα δινήσας ἐμπυρος ἥλιος,
ἥμυνοπόλους δ' ἀγεληδόν ἀπημάλδοντεν "Ομηρος,
ubi eadem imago eundem ad finem usurpata est, atque apud Lucretium. Quod autem hi sic solem et stellas coniunxerunt, magis naturam rerum secuti sunt, quam si solem inter stellas faciunt fulgentem, auctor encomii in laudem Demetrii Poliorcetae scripti (BERGK. *carm. pop.* 46):*

*Σεμνόν τι φαίγεθ', οἱ φίλοι πάντες κύκλῳ
ἐν μέσοισι δ' αὐτός,
ὅμοιον ὕπτερ οἱ φίλοι μὲν ἀστέρες,
ἥλιος δ' ἐκεῖνος.*

Et STRATO (*Ant. Pal.*, XII, 178): Έξεφλέγην, ὅτε Θεῦνδις ἐλάμπετο παισὶν ἐν ἄλλοις, οἷος ἐπαντέλλων ἀστράσιν ἥλιος· τούνεκ ἔτι φλέγοματ καὶ νῦν ὅτε πυκνὰ λαχνοῦται δυόμενος γὰρ ὅμως ἥλιος ἔστιν ἔτι.

ALEXANDER AURELI.

De Sancto Ephraem Doctore Ecclesiae recens constituto

Relata est in ALMA ROMA Encyclica epistola d. v mens. Octobris MDCCXXX, qua SS. D. N. Benedictus XV, invocato Spiritu Paraclito, suprema Sua auctoritate, Sancto Ephraem Syro, Diacono Edesseno, titulum cum honoribus *Doctoris Ecclesiae Universalis* contulit.

Tria autem, ut scite exponit Benedictus XIV. ad constituendum Ecclesiae Doctorem requiruntur, nempe *eminens doctrina, insignis vitae sanctitas, ac Summi Pontificis, vellegitimi Concilii, declaratio.*¹

De insigni vitae sanctitate Ephraem Syri, quae in Ecclesia tum Orientali tum Occidentali erat maxime celebrata, moveri quaestio non potuit. Censetur porro *eminens doctrina*, quae non solum est erroris expers, sed et singulari quodam modo praestat. Iam vero, requisitis trium theologorum suffragiis, compertum est exhiberi in libris S. Ephraem veluti *summam seu medullam* totius catholicae doctrinae, verosque *flores* dogmaticos, asceticos et mysticos, bonum Christi odorem spirantes.

Verum quidem est S. Ephraem, prae humilitate, voluisse sacerdotali dignitate carere, sed munere docendi non caruit; nam multos habuit sermones, qui partem operum omnino insignem efficiunt.²

¹ Cfr. BENED. XIV, *de Beatif. et Canoniz.*, lib. IV, c. XI, n. 13.

² Cfr. Edit. LAMY, *S. Ephraem Syri Hymni et Sermones*, Mechliniae, 1882, et Paris, 1902, tria vol.

Ceterum maxime congruebat ut in singulis gradibus sacrae hierarchiae, quam dicit concilium Tridentinum divina ordinatione constitutam, quaeque constat ex episcopis, presbyteris et ministris,¹ haberentur doctores. In ordine quidem episcopaliter eminent sancti doctores, ut Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius M., etc.; in ordine autem presbyterali resplendent S. Hieronymus, Venerabilis Beda, S. Bernardus. S. Thomas: is etiam ordini diaconali tribuendus erat honor, ut doctorem peculiarem haberet S. Ephraem.

Apposite iam scribebat Leo Pp. XIII, ad illūnum LAMY:² « Et id quidem per opportune prorsus ad haec tempora, quae perturbata volvuntur ubique a coacervatis praeteritarum omnium aetatum erroribus, et foedata a colluvione vitiorum inde manantium. Nam Edesseni Diaconi scripta, in Occidente non minus quam in Oriente celebrata, non solum aptissima praedabantur a Sancto Gregorio Nysseno conterendis antiquis, coaequalibus et futuris haeresibus, sed ipsa indole et varietate sua sunt eiusmodi, ut diversis hominum conditionibus et adjunctis accommodata, roborent fidem, cupiditatem coērceant, regant mores, ingerant humilitatem, caritatem succendant, animos ad virtutem informent: unde factum esse scimus ut olim compluribus in Ecclesiis, post Sacras Scripturas, opera Sancti Ephraem publice legi solearent ».

Ergo ille potuit iure merito declarari Ecclesiae doctor, cuius scripta, etsi diaconi fuerunt in Ecclesia publice recitata.

Inquirendum superest de ultima condizione ad doctorem Ecclesiae constituentem, videlicet, de Summi Pontificis declaratione.

Opportunam autem fuisse huiusmodi declarationem suadent multae ac manifestae rationes, ut nempe habeatur novus doctor in re *dogmatica, ascetica et biblica*.

Primo quidem, optandum ut proponatur dux in re *dogmatica* ille qui haereses *propulsavit vel praecidit*, et cuius opera *sunt demonstrationibus plena*, ut scribit S. Gregorius Nyssenus.³ Iam ipse omnia dogmata nostra vindicat, v. g. dogma *Filioque*: « Pater GENITOR, Filius GENITUS, in sinu eius, Spiritus Sanctus PROCEDENS A PATRE ET FILIO »;⁴ dogma de immaculato B.V. Mariae conceptu, dogma de primatu Petri, etc., prout meminit praecitata Encyclica.

Recolere liceat quae disserit poëta Edessenus de concordia divinae gratiae cum libertate: « Quod est perversum et distortum provenit ex libertate, quod ordinatum rectumque a gratia ».⁵

Ac de pulchritudine gratiae: « Loco deturpatae effigie primi Adae, novam imprimis imaginem ».⁶

Et quae de *notis* Ecclesiae: « Unitas est sicut alphabeti mensura, cui nec addi nec subtrahi quidquam potest; catholicitas, ex nomine nostro deprehenditur; apostolicitas tum serie episcoporum tum antiquitate doctrinae comprobatur; sanctitas in his implicatur, sicut iniquitas et frauds habentur in haereticis, qui regis sigillum suffurati, eo clanculum ad struendas fraudes abutuntur ».⁷

Inde etiam apparebit quanti sit pretium depositum fidei, in cuius custodiam et tutelam suscitavit Deus tantum virum, qui dici poterit antiquissimus inter doctores, quem scripserit ante Augustinum, Hiero-

¹ Cfr. S. GREGOR. NYSSEN, *De Vita S. Patris Ephraem Syri*; P. G., XLVI, 826-827.

² Edit. LAMY, t. III, p. 242-244.

³ Edit. RAHMANI, p. 126.

⁴ Ibid., p. 23.

⁵ Apud ASSEMANUM, *Biblioth. Orient.*, t. I, p. 128.

nymum, Chrysostomum, et obierit ante Basilium.¹

Secundo, quum nostris temporibus magis necessaria sit scientia « ascetica » quo facilius mentes a terrenis expediantur et ibi fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia, congruit ut proponatur doctor in re ascetica et mystica ille, cuius scripta primos ascetas imbuerunt, de quo testantur recentiores critici: « Son influence a été grande surtout dans le monde ascétique ».²

Tertio, quum nostra quoque aetate multi exorti sint errores vel opinionum conflitus de re biblica, opportunum est ut in ducem et exemplum exegetis proponatur ille qui verae exegeseos principia statuit tum litteralem et historicum, tum typicum sensum tuendo, de quo etiam recentiores eruditi scribunt: « Saint Ephrem, le plus grand des écrivains de l'Orient chrétien, occupe une place à part dans l'exégèse sacrée ».³

Sed magis urget *specialissima* ratio. Vixdum Benedictus XV ad gubernacula Ecclesiae Romanae, quae « radix et matrix est Ecclesiae Catholicae », collocatur, oculos animumque convertit ad Orientis Ecclesias, tum quae cum hac Apostolica Sede, « unde unitas sacerdotalis exorta est », copulantur, tum quae sese ab ipsa segregantur; et decessorum vestigia persecutus, utrumque habuit propositum, alteras in pristinam dignitatem restituere, ad fidei unitatem alteros revocare ».⁴

Quam unitatem promovere plurimum valebunt et illa S. Congregatio rebus Orien-

talibus praeposita, et Orientale Pontificium Institutum ad orientalium disciplinarum studia provehenda creatum, et tandem constitutio novi doctoris, illius scilicet, quem omnes proclaimant « maximum et praestantissimum inter Orientales christianos scriptores », *le plus grand des écrivains de l'Orient chrétien*, de quo periti recentiores scribunt: « Il représente l'école d'Edesse, comme saint Jean Chrysostome l'école d'Antioche, Origène l'école d'Alexandrie et saint Jérôme l'école d'Occident ».⁵

Sicut ergo Summus Pontifex Benedictus XV iam sibi Orientales Ecclesias devinxit duplici illo sollicitudinis sua te stimonio, videlicet S. Congregatione pro Ecclesia Orientali et Instituto Orientali, ita beneficiis suis cumulum apposuit, doctorem Orientalem Orientalibus proponendo, quem iam ipsi ceu *Cytharam Spiritus Sancti et Orbis Doctorem* venerabantur.

EDUARDUS HUGON.

¹ LAMY, loc. cit.

In honorem et memoriam DANTIS ALLIGHERII

SEXTO POST EIUS OB: TUM SAECULO

Rusticanti mihi, proximis autumnalibus feriis, in amoenis Montisferrati collibus, in Subalpinis, et nihil iam quam ineptissimas ineptias cogitanti, ecce duo suavissimi amici, quos necessarios meos optime appellaverim. Ambo ex Augusta Taurinorum veniunt, atque in omni genere litterarum et humanitatis perfecti. Quos quum magna vultus orisque laetitia atque exsultantia accepissem, domique, post salutationis auspicium, retinuisse, eos, vineas meas invisuros, comiter perduxii. Nihil

¹ Sess. XXIII, can. 6.

² Edit. cit. t. III, p. V-VI.

¹ Apposite scribit UBALDO MANNUCI, *Istituzioni di Patrologia*, t. II, p. 129: « Quasi nessun dogma potrebbe nominarsi per cui egli non offra seconda messe di testimonianze ».

² F. NAU, *Diction. théol. cathol.*, fasc. XXXVI, 190.

³ LAMY, *Revue Biblique*, 1893, p. 5.

⁴ Cfr. Allocut. SS. D. N. BENED. PP. XV, in sacro Consistorio habit. die 10 martii 1919, *Act. Apost. Sedis*, p. 98 ss.

sane, hoc tempore, illisque locis, splendidius est oculis, nihil admodum ornatus. Quot enim caelestia munera! Ut extensis tumet uva racemis! Quot divinitus simul agricolarum divitiae, quaeque rerum va-rietatis!

*Sunt auro similes longis in vitibus uvae,
Sunt et purpureae...*

Quam magnificum decorumque spectaculum! Nos, diutius in admiratione defixi, alternatim verba pectore fundimus. Nil sane abundantius, et nihil suavius. « Vides iam nullos longe saltus lateque vacantes » ut olim praesertim in summis montibus, sed undique vineta, undique vitarum pampinos atque racemos.

Tunc, vir ille, quem optime multarum litterarum studiosum dixeris, admiratione percussus, ad nos conversus: « Hoc dicere - ait - hoc equidem poëmati Alligherii simillimum ob abundantiam rerum atque iucunditatem. Hic vere « Optima vinetis satio quum vere rubent ». Et nisi amicus eum disserentem facete abrumperet, omnia quae de vineis Vergilius condidit, uno spiritu memoriter dixisset. Hic enim Alligherii in primis studiosus nihil sine inflammatione animorum et sine quodam afflato divini furoris dicere consuevit.

Tunc ergo eos ut domum iterum ingredierentur compellens, quasi hanc fortunatam occasionem divinitus exspectassem: « Eia ergo, dixi, vos recordari iubebo, meos hospites esse, atque adeo sub mea quasi constitutione receptos. Ad Dantem itaque accedamus, et quoniam Matthaeus noster de omnibus rebus varie copioseque dicere solet, procul dubio melius hic acceptiusque. Tantos enim progressus habet in divino nostro poëta, ut cum excellentibus in eo genere facile comparetur ».

Hisce dictis domum ingrediuntur.

In conclave se se committunt, ubi parvulae sunt sellae in circulum positae, concinnae admodum atque elegantes; in medio

vero stat mensula pretiosa cum serico operimento. Adest et parvula bibliotheca optime digesta, multisque voluminibus antiquorum recentiumque scriptorum bene ornata, ubi identidem animus rebus quotidianis defatigatus recreatur:

Tunc hospes sic confidenter atque hilari vultu eos compellat:

« Quoniam mihi sors adeo felix contigit, ut vos ad me adduceret, et te praesertim qui Dantem Alligherium ita amas et diligis, ut possim citra fidem dicere te eum in oculis ferre consueuisse; haud abs re erit, opinor, si nos hanc opportunitatem nacti, et ut tempus hoc utiliter transigere possumus, de hoc maximo poëtarum omnium lumine aliquantis per disserere placeat. Magnum equidem opus adgredimur, magna est quoque provincia, tibi attamen optimè cognita, et nostris insuper studiis haud indigna.

Ad hoc, ne quid nobis alloquentibus desit, veluti data opera, adventum auspiciatissimum vestrum decorare cupiens, volumina quaedam hinc inde desumpta hue contuli, ut opportunum adiutorium essent. Vos enim animo praesentiens, vosque vide cupiens ardenti studio, summo mane amicum quemdam ab aedibus meis discdere persuasi, memorans

*Perconctatorem fugito, nam garrulus ille est
Nec retinet patulae commissa fideler aures ».¹*

Hic tertius qui hactenus tacuit, et umbra potius videbatur quam familiaris, subridens sic se alloquentibus adiungit:

« Semper ego auditor tantum? Ero qui vestra curva corrigam; vel potius, si vobis placeat, argumentum rerum agendarum in medium proferam, quod ore vos prosequimini. Placet? ».

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

¹ HORATIUS, Ep. I, 18.

MATERNUS AMOR¹

Quam bene quamque diu, si clausis ire licet
aggeribus, soli solaque in rupe sedebant,
fallebantque datam caris sermonibus horam!
Hinc mare caeruleum spectantibus, inde fera-

[ces
ubere convales, seseque per aquora fumo
subdita culminibus prodebat undique pagi:
quos novisse omnes creditat qui forte loquen-
[tem
audiat alterutrum. Oppidulum tamen usque re-

[quirunt
ambo oculis unum, foveant quod pectore toto.
Infra est, qua celeber nigrescit ab ilice lucus,
a laevaque fluit nitidis argenteus undis
amnis, et in mediis stans campanaria tectis
despicitur turris, paene ut videatur ad aures
adventare sonus, veteremque iterare quere-

[lam.
Inde etenim, fuerant seu vitae tristia, sive
laeta, sibi sacra socium cum voce sonorem
norant accessisse, domestica facta canentem;
inde - recens animo! - longis singultibus aera
infando Patriae fines ex hoste gembant
traiectos, feritate potens qui nata negaret
iura sibi, ingluvie, ni obsistat civica virtus,
cuncta voraturus... Iuvenesque senesque sub-

[arma
tum ruere, et diris opponere pectora rebus!...

Talia, natalem placido dum lumine spectant
pagum, volvabant taciti secumque beatam
mox fore sperabant lucem, qua tinnula sacris
Germanos caneret Patriae vox finibus actos.
Quod tamen haud tantum votis atque omni-

[uterque,

¹ Carmen hoc, quod nobis edendum ultra obtulit clari-
ssimus auctor, iam diu ALMAE ROMAE socius, magna laude
ornatum est in certamine poëticō Hoeufftiano superioris
 anni MCMXX. Poëtae amplissimas gratias habemus, publi-
que referimus, atque ex animo gratulamur.

quo in bellum ardebant studio, properabat, at
[armis.

Nam decimum mensem stipendia dura mere-
[bant,

nec semel, at pariter, ruerant in proelia fortis,
hoc sociis tantum noti miraculo amoris,
alterius quod discrimen, si incumberet, alter
immemor usque sui quacunque arcere stude-
[bat.

Horum vera cohors ignorans nomina, quaeve
inter eos, si quicquid erat, cognatio, tanta
mota fide, hunc Pyladen, illum dicebat Ore-

[stem,
ex quo primum aliis adiuncti rite gregales
sunt ita se unanimos praebere per omnia visi.

Ille prior natu (tenui lanugine malae
testabantur enim subitque per ora rubores)
et prior adfuerat patriis accitus in arma
legibus; ast eadem paucis post castra diebus
alter adit, petitiqne sibi ne dura volenti
munera militiae abnuerent. Fit miles, et artus
praecingit sagulo quid nescio molle gerentes.

Mox autem iuveni, qui se praecesserat, uni
sese addit socium, nullisque abiungitur horis.
Namque una excubiis, requie simul utitur una;
idem confecto refovet certamine utrumque
vallus, et in dulces senior sua pectora somnos,

ne se sternat humi, caro dat saepe sodali,
inque illum curas adhibet de more paternas!
Nec semel est idem pugnans tutatus amicum,
objeto eripuit pugnantem corpore morti
ipse suo, nullo deducens vulnere laesum.

Mirantur socii solos in parte sedentes
saepe loqui, ut tenuis capiant vix murmurra

[vocis;

quae si quis posset deprehendere, nil nisi pa-

[gum
audiret patrium et parvos memorare penates,

fas ubi perfecti incolumes fastidia belli
ponere, et antiqua sit tot discrimina passos
pace frui... O utinam, devictis hostibus, illam
cras liceat remeare casam, quique adiacet hor-

[tum;
atque iterum notis impendere tempus opellis,
sive rigare solum, seu semen credere sulcis
praestat, ut inde dapes mensa apponantur
[inemptae!

Serior hic aviae moestissima degitur aetas,
at tota quae luce domesticus exigit usus
munia cuncta tamen studio properantis anili,
ne, quos adsidua reddituros mente manebat,
cari, vel numero quererentur abesse palumbes,
vel lacti capras, vel melli examina habendo.

Scilicet haec memori concessa per otia secum
corde volutantes, obtutu haerebat in uno
subiectamque oculis contemplabatur uterque
planitem, si forte sui discernere fumum
posset et oppiduli, quae sacro ex aere resul-

[tant,
interdum liquidum captare per aethera voces.
Nonnunquam vero quaedam pagana canentes
lenibant animos et longis excita curis
pectoris, et antiquae revocabant ludicra vitae,
mutua reddentes patrio quae in carmine per-

[stant.
Nec procul interea tonitus et fulgura belli,
armorum crepitus, peditum concursus et hor-
[ror
cessabant, et terrifici quandoque boatus...

CANTIONES.

I. Ver est: iam timidis gramina floribus
nictantur; crepitat murmure cum lev-
rivus; sub veteri fingere nidulum
festinant trabe hirundines!

At matris facies pulchra ver meae
vincit purpureum, vox et aquae premit
murmur molliculum; tecta meae petunt
matris semper hirundines!

II. O si quam nitido miror hirundinem
deferri rapidis aethere pennulis
ad nostram casulam sistat, et omina
dulci nunc aviae ferat!

Dicat: Sol oritur iam novus et nova
aedes laetitia teque beat nitens:
forsan cras aderunt quos animo tui
tristi sollicitos vides!

I. Quid cum vere mihi? quid mihi cum rosis?
dirus si patrios hostis agros premit?
Amisa patria, vivere non lubet,
amissa, est satius mori!...

II. Virtus restituet nostra, repellere
praedones poterit, nam Deus adiuvat:
Ver pandet patriae lumina liberae,
iuris factae iterum sui!...

I. Dulci matre mihi Patria dulcior,
cui vitam decus est fundere nobile!

II. Si fundas, lacrimis parcere stat tuae
matri, te Patriae dato! ...

Iamque dies aderat, totam quae summa co-
[hortem
- sic visum ducibus - certamina rite vocarent.
Nil derat, magno irarum flagrantibus aestu
militibus, saevum cunctos quod rumpere in

[hostem
fas esset tandem, et campo contendere aperto.
Egreditur de nocte cohors valloque relicto
protenus obstantem tacito petit agmine col-

[lem.
Vix bene contigerat (linquebant ultima cae-

[lum
astra sub auroram), exciti clamoribus hostes
nec mora praecipites in nostros impete ferri,
omnibus instructi telis: concurritur aequo
marte; boant obices circum, densusque viro

[vir

instat: humus calido dextra laevaque madescit
sanguine, et attonitae resonant ululatibus au-

[rae.
Contigit at nostros niveis Victoria pennis,
non sine clade tamen: passim spectantur
[acervi
corporum, et hinc gemitus laesorum vulnere,
[et inde
efflantum vitas feriunt suspiria noctem...

Quae simul inductis celavit castra tenebris,
et pugnae faciem, media de caede videtur
surgere et incerto per singula corpora passu
quaedam forma viri procedere; pondus eun-

[tem
detinet interdum quoddam; tum sistit, anhe-
[lans
deinde resumit iter, quod saucius ipse cruento
spargit, at exanimi, quem tergis gestat, amico,
tantum prospiciens, minime sua vulnera sentit.
Tandem evadit ubi rubro crux ducta colore
indicat aegrorum - niveis tentoria velis -
certum stare locum. Quo vix ingressus, hu-

[mique
deposito *Pylades* sublati corpore *Orestis*
concidit, appellans quem nescio nomine na-

[tum! ...
Vulnere detecto, patuit tum femina: Mater!

ALAFRIDUS BARTOLI.

PAGINA IURIS

De Vicario Generali iuxta novum Codicem Iuris Canonici.¹

Vicarius Generalis quilibet clericus
(sola tonsura insignitus) cum aetate anno-
rum quattuor et viginti olim esse poterat;
nunc vero et sacerdotis qualitas et triginta
annorum aetas praescribitur in can. 367;
ubi etiam requiritur sit V. G. « in theologia

¹ Cfr. fasc. mens. Decembris MCMXX.

et iure canonico doctor aut licentiatus, vel
saltem earum disciplinarum vere peritus,
sana doctrina, probitate, prudentia ac
rerum gerendarum prudentia commen-
datus ». In Vicarium Generalem assumi
debet sacerdos ex clero saeculari, nisi
diocesis alicui religioni commissa fuerit,
tunc enim potest esse eiusdem religionis
alumnus (can. 367, § 1-2).

Eodem can. 367, § 3, praecipit Episcopo ne Vicarii Generalis munus com-
mittat iis, qui praetextum praebere pos-
sint suspicionis super recta agendi ratione
in officio Vicariatus. Et ii sunt Can. Po-
nitentiaris, Episcopi consanguinei primi
gradus, aut primi cum secundo mixti, vel,
exclusa necessitate, Parochus. Et in hoc
concordat ius praecedens.

Potestas iurisdictionis Vicarii Genera-
lis, statim ac nominatus fuerit (emissa
Fidei professione et iureiurando praes-
titio), in spiritualibus et temporalibus,
eadem est ac quae ad Episcopum perti-
net, iure ordinario, exceptis iis quae Epi-
scopus sibi reservaverit, vel quae ex iure
requirant speciale Episcopi mandatum
(can. 368, § 1). Porro non est amplius locus
disputationi circa casus, qui speciale man-
datum requirant; nam apertis verbis in
Codice statuitur quae facultas non com-
petat Vicario Generali, sine speciali man-
dato. Et clausula haec restrictiva legitur
in viginti et duobus canonibus, sublata
alia, quae dubiis locum praebebat « aut
res sit valde ardua ».

Inter praecedens ius et hoc, quod Co-
dice sanctum nunc est circa hoc speciale
mandatum, nota digna habentur haec
tria: canonica institutio pro presentatis
a patronis, potestas iudicaria, et facultas
absolvendi a casibus quos Episcopus sibi
reservaverit. Canonica institutionem
presentatis a patronis olim concedere
poterat Vicarius Generalis, dummodo di-
gni fuerint, ex cap. *Frequentibus*, 3, de
Instit., utpote *actus iustitiae et necessi-*

tatis.¹ Nunc vero non potest sine speciali mandato (can. 1466, § 2).

Item olim iudicaria potestas, exceptis causis criminalibus, competit Vicario Generali, vi officii sui, ex cap. *Licet*, 2, *De off. Vicarii in 6^o*, quamvis in hoc capite nominatus sit *Officialis Episcopi*, quia in iure Officialis id est Vicarius intelligebatur, ita *Glossa in Clem.* Et si *principalis*, V. *Officialis de Rescript.*, et aliquando expresse dicebatur, prout Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 18, *De ref.*: Item *Officiale*, seu *Vicarium*.² Nunc vero prorsus excluditur in Vicario Generali iudicaria potestas, et can. 1573, § 1, statuitur: « Quilibet Episcopus tenetur officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi, a Vicario Generali distinctum, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat hoc officium ipsi Vicario Generali committi ».

Quod spectat ad reservatorum absolutionem, quae olim in facultate Vicarii Generalis non erat (*Arg. c. Si Episcopus*, 2, *De Poenit. et remiss. in 6^o*), est e contra nunc in eius potestate; nam can. 873, § 1 et canonibus sequentibus Codex, circa facultatem excipiendi confessiones eamque aliis sacerdotibus concedendi, nominat loci Ordinarium. Attamen nequit Vicarius Generalis casus reservare, sine speciali mandato (can. 893, § 1).

Circa Rescripta Apostolica, can. 368, § 2 habet: « Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius Generalis exsequi potest rescripta apostolica, quae Episcopo vel praecedenti Rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent facultates habituales Ordinario loci a S. Sede concessae, ad normam can. 66 ».

¹ REIFFENSTUEL, lib. I, tit. XXVIII, § IV, n. 83; BARBOSA, par. III, *De off. et pot. Ep.*, alleg. 54, n. 70; SANTI, *Prael. Iur. Can.*, eod. tit. XXVIII, n. 32.

² REIFFENSTUEL, I. c., § III, n. 60; BARBOSA, I. c., n. 25.

Quoniam omnis ecclesiastica potestas ad Dei gloriam et in bonum animarum instituta est, can. 369 concordia Episcopum inter et Vicarium Generalem insinuatur. Vicarius enim, ibi dicitur, « praecipua acta Curiae ad Episcopum referat, ipsumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero et populo disciplinam ». Et § 2: « Caveat ne suis protestatibus utatur contra mentem et voluntatem sui Episcopi ... »; quod ceteroquin praeberet Episcopo iustum rationem eum removendi.

Praecedentia Vicarii Generalis super omnibus dioecesis clericis statuta est can. 370, praesente etiam Episcopo; et quidem sive publice sive privatum, « non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus », uno excepto casu, quo aliquis clericus « charactere episcopalii prae fulgeat et Vicarius Generalis eodem careat ». Vicarius Generalis « durante munere habet tantum privilegia et insignia Protonotarii Apostolici titularis » (can. 370, § 2). Quod si fuerit Episcopus, omnia honorifica privilegia Episcoporum titularium obtinet (ibid.).

Circa haec Vicarii Generalis iura recomendum est quod apud S. Conc. Congr. propositum fuit dubium duplex, videlicet: « An Vicario Generali Cuneen. ius praecedendi competat super Priore Parocho ecclesiae cathedralis in casu? - An ius praecedentiae super omnibus dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis spectet Vicario Generali in choro veste canonicali induito? ». Et S. Cong. Concilii, die 17 Maii 1919, *Cuneen. et Utinen. Praecedentiae*, respondit: *Ad utrumque affirmative.*¹ Quare locum non habet amplius distinctio quae fiebat ante Codicem, de praecedentia in choro vel extra, cum habitu canonicali

¹ *Acta Apost. Sedis*, vol. XI, pag. 349 sqq.

vel praelatitio. Vicarius Generalis semper et ubique omnibus in Dioecesi praecedit, exceptis Episcopis, si ipse non sit Episcopus. Etiam circa insignia et privilegia nunc diversitas intercedit; quia ante Codicem, ex *Motu proprio* Pii PP. X s. m. *Inter multiplices*, d. 21 Feb. 1905, Vicarii Generales adnumerabantur, durante munere, inter Protonotarios titulares, cum habitu praelatitio nigri coloris.

Denique can. 371: « Exspirat Vicarii Generalis iurisdictio per ipsius renuntiationem ad normam can. 183-191, aut revocationem ei ab Episcopo intimatam, aut Sedis episcopalis vacationem; suspenditur vero suspensa episcopali iurisdictione ». Quae clara sunt et iure praecedenti fere conformia. Adnotari tamen iuvat Vicarii Generalis revocationem faciendam esse ex rationabili causa, ne laedatur honor Vicarii: securus dari potest redintegratio, ceu tenuit S. Congregatio EE. et RR. in *Spalaten.*, d. 3 Jul. 1610 et in *Trecorien.*, d. 8 Octobris 1644.¹

JOSEPHUS FAMELI,
S. T. *Apostolicae Signaturae Votans.*

¹ SANTI, I. c., n. 35.

COMMUNIA VITAE

Voces animalium.

Munus hoc meum resumpturus, dum per amica silentia noctis incertus haereo quid argumenti capiam, importuni felis diutinus maumatus aures meas dilacerat. An me monet ad bestias et bellugas mentem divertam, earumque voces colligam et referam? Sit; eaeque praestent dicendi hodiernam rationem, per alphabeti ordinem, ut hominum nomina, digestam. Itaque

Accipiter pipat, clamat.

- Acredula militat.¹
- Anas tetrinit.
- Anguis sibilat.
- Anser gracilat, gracitat, clangit, gemit.
- Apis bombilat, bombitat, susurrat.
- Aper frendit.
- Aquila clangit.
- Aries blaterat.
- Asellus oncat.
- Asinus rudit.
- Barris (Elephas) barrit.
- Bos boat.
- Bubo bubulat.
- Buteo² bubit.
- Camelus blaterat.
- Capra musit.
- Canis latrat, baubatur, hirrit.³
- Catulus glaucitat.
- Cicala trinit.
- Ciconia glottorat.
- Columbus et Palumbus plausilant.
- Columba et Turtur gemunt.
- Cornix crocit.
- Corvus crocit.
- Coturnix grilissat.
- Cyenus drensat, canit.
- Cuculus cuculat.
- Equus hinnit.
- Felis maumat.
- Gallina gracillat.
- » ante ovum glocit, glocitat.

¹ Acredula, quae legitur et agredula, avis est quaedam, quam alii lusciniam putant esse, alii vulgo vocant solitariam, alii credunt alaudam illam, quam Itali calandra appellamus; alii ravarinum, apud nos cardellino. De ea auctor carminis de *Philot.* 15, a Forcellinio citatus: *Vere calente novos componit acreduila cantus, Matutinali tempore tum militans.* - Sunt denique qui tenent non avis. sed loquacis et stridulae ranae genus esse, quod versum illum Arati: *Ἡ τρύξει ὄρθριὸν ἐρημαίη δλολυγών* ita vertit Cicero (I *De Divin.* 8): « Et matutinis acreduila vocibus instat ».

² Avis rapacis genus, quod Itali vocamus poiana.

³ Canis caesus baubatur; hirrit quum quis offam ei ex dentibus eripere tentat.

Gallina post ovum singultit.
Gallus cuculat, canit.
Gallus indicus cucurit.
Graculus frigulat.
Grus gruit.
Gryllus grillat.
Hirundo trinsat, trissat, zinsilulat, frictinat.
Hircus mutit.
Leo rugit, frendit.
Lepus vagit.
Lupus ululat.
Luscinia cantillat.
Linx orcat.
Meleagrides¹ caccissat.
Merula balbutit.
Milvus lipit, iugit.
Mus mintrit.
Musca bombit.
Mustela drinsat, dintrit.
Noctua cucubat.
Onager et Cervus rudunt.
Ovis balat, belat.
Panthera caurit.
Pardus felit, rictat.
Passer pipit.
Pavo pupillat.
Perdix cacabat.
Pica (Monedula) picat, fringultit, fringulit.
Pipio minutit.
Pullus pipilat.
Psittacus loquitur.
Rana coaxat.
Simia stridet.
Sorex destricat, occinit.
Strix stridit.
Sturnus pisitat.
Sus grugnit, grunnit.
Taurus et Vitulus mugiunt.
Tigris rancat, raccat, rauacat.
Turinus trutilat.
Ulula ululat.
Upupa popissat.

¹ Gallina Africana, vulgo Pharaonis.

Ursus rudit.
Verres quirritat.
Vespertilio stridet.
Vulpes gannit.
Vultur pulpitat.

FORFEX

ANNALES

Flumanae civitatis discriminem.

Quae vota in superiore fasciculo efferebamus, ut in Flumanae civitatis discriminem fraterno sanguini parceretur, in incassum heu! cessere. Quum enim D'Annunzio ille eiusque copiae Italici gubernii iussis de relinquenda urbe insulisque Veglia et Arbe una cum scopolis S. Marci, Iugoslavoniis per foedus adsignatis, obstitissent, circumsessa primum est urbs, deinde Italicae militiae vi in eam processerunt. Restiterunt tunc armis D'Annuntianae acies, funeraque hinc inde lugenda fuerunt. Tandem vero prudentiorum consilium vicit; indutiae invocatae sunt, breveque pactio-nes sunt sequutae, per quas et foedus ad Rapallo oppidum ab Italis ictum a Flumana quoque civitate recognitum est, voluntariorumque legio, quae a « flammis nigris » nomen sibi fecerat, dimissa. Eritne nunc de vera pace sperandum?...

* * *

Iugoslavorum discordiae.

Quamquam si in Italia in eam libenter satagimus, non idem a Iugoslavoniis fieri dicendum est, qui intestinis discordiis de ipsa imperii constitutione agitantur. Serbi enim imperii summam pro se repetunt: obsistunt acriter qui electi sunt populi oratores ex « communistarum », quae vulgo appellatur, factio; neque minus Sloveni, et Radic administrati fautores; qui omnes iureiurando cum « Constituente coetu » sese devincire renuerunt. Neque satis;

quia ne cum vicinis quidem populis, Hungarische praesertim, mire congruere videntur Iugoslavonii; immo cum ipsa Bavaria natione in dissensionem venerunt.

* * *

Constantini regis in Graeciam redditus.

Ex populi scito ac triumphantium more Constantinus, Graeciae rex, in patriam rediit, munusque suum resumpsit; dumque hostilis, Francorum praesertim, animus perdurat, is prudenter se gerit, atque declarat sese, nunc saltem, obligationibus statutum assumptis in Asia minore, ubi Turcarum « nationalistarum », quae vocatur, factio, bolscevicis suffulta, in eo esse dicitur, ut Graecos ad recessum cogat.

* * *

Bolscevicarum facinora.

Qui quidem « bolscevicae » a facinoribus suis, huc illuc permeantes, minime desistunt. Eorum opera, aut saltem influxu, habitae sunt in Hispania atque Lusitania ingentes opificum ab operibus desertiones, neque operariorum in Anglia perturbationes cessarunt adhuc. Infandum autem crimen in Rumenico senatu patratum est. Quum enim patrum coetus tranquillo animo in labores suos intendit, ignitae pulveris globus in aula iacit, qui miseram mortem inter praesentes effundit. Nec secus Bononiensi in municipum coetu accedit, ubi bolscevicarum sectatores, ex improviso, manubullistae ictibus adversarios petunt, quorum alterum necant, alios nonnullos vulneribus afficiunt.

* * *

Nationum societas Genevae congregata.

Nationum societas Genevae congregata operi suo finem imposuit, post acceptos in sociorum numerum Austriacos, Bulgares,

Armenos Albanosque. De Germania, Iugoslavonia, aliisque civitatibus recens constitutis ad aliud tempus aliumque conventum est dilatum. Decretum praeterea est de internationali iustitiae supremo tribunali creando.

* * *

Regia itinera.

Christianus X, Danorum rex, eiusque uxor, Anglos, Gallos, Italosque visitarunt, gratias pro suo populo acturi, quod eorum praesertim opera Danico regno ea territorii pars reddita fuerit, quam Borussi, Austriae auxilio, an. MDCCCLXIV sibi addixerent. Romam quum venissent, Summum quoque Pontificem Benedictum XV inviserunt.

Kalendis Januariis MCMXXI.

POPULICOLA.

ROMA SACRA

Ex Congregatione S. Officii.

Per decretum d. XII mens. Novembr. 1920, proscriptum, damnatum atque in Indicem librorum prohibitorum insertum est opus, cui titulus: *Kritische Erörterungen über den Katholischen Religionsunterricht an höheren Schulen ... von Dr. W. Wilbrand. Tübingen. Verlag von J. C. B. Mohr (Paul Siebeck) 1919.*

VACUI TEMPORIS HORA

Studio flagrans nova vobis offerendi, lectores mei humanissimi, quae per subsecivas horas levamen aliquod ac solarium praebant, novam cum novo anno provinciam ingredi cupiebam, poéticas descriptiones posthumas repetens a Iosepho Bernerio romano exaratas de moribus ac ludicris quibusdam, quae olim tum apud

Romanos, tum apud Nostrates viguerunt, et fortasse nonnullis in regionibus vigent adhuc; easque ita distributas, ut iuxta temporum occasionem ederem et opportunis commentariolis illustrarem. Quae vero ad perficienda quum tempus defecisset, factum est ut omnia ad proximum Februarii fasciculum differre sim coactus; eorumque in locum epistolam Amadei Ronchini hodie sufficiam **De opportunitate studiorum latinitatis**, quam socius humanissimus Carolus, quondam Iosephi, Ronchetti, mediolanensis, ad me misit; eritque tum elegans vel recentium inventorum dicendi genus, tum ad confirmandum animum in studio latinitatis renovatum item atque optimum incitamentum. Accipite ergo quae Ronchinius ad Michaëlem Ferruccium, equitem, scribebat ex Parma urbe, III Idus Sextil. a. MDCCCLX:

Quanta iuvat nostrum, Michaël, sapientia saeculum;

Quanta, suis nuper prolati finibus, artes Inventa extuderunt, fortunatissima terris!

En gemino innixum ferro (mirabile visu)

Praeterit, exsuperans ventorum flamina, plau-

[strum,

Machina quod valido trahit impete pulsa va-

[poris.

Insueto si quâ calli natura repugnet Montibus obiectis, vis illos ingeniumque Perfodiunt hominis, cui nulla impervia fiunt. Ipsa vapore intus compresso mota carina Aequoris immensos sulcat rapidissima tractus. Non itaque impediunt longa intervalla loco-

[rum

Quominus et coëant, secum et commercia

[iungant

Dissimiles morum, linguae ac discrimine

[gentes.

Quod si me caros pigate liquisse penates, Hinc quocumque meas subito queo mittere

[voce,

Excipere et subito quas illinc miserit alter: Stamina nam ferri, cunctas extenta per oras, Fulminea ferme scintilla percita ducunt

Signa procul, vice quae fungantur litteru- [larum.
Quem tua, Daguerri, lateant portenta, mican- [tem
Queis adigis solem in parva nitidaque tabella Formam obiectarum stabilem depingere re- rum!
Cetera quid memorem nota hic miracula So- [phorum,
Paene quibus totum videas renovasier orbem?
Cum sic tanto hodie studio tollantur in [altum
Artes, humanae pariunt quae commoda vitae, Quaero ego cur, spretis deserta in sede Ca- moenis,
Conticeat latius, nostra olim gloria, sermo. Nunc (equidem novi) spectat sublimia pubes, Odit et Orbilii, queis dudum vincta, catenas. Stat potiora sequi: Italianam stat vindice ferro Servitio eximere, in quo tot iam saecula

[torpet.

Propositum nemo non aequis laudibus

[ornet:

Sed si tantus amor patriae, si tanta iuventae Est libertatis ferventi in corde cupidio,

An monumenta patrum romanae tradita lin-

[guae

Nescia despiciat? non inde exempla petantur Olli prima, quibus germanus fingitur heros?

Livius est nobis scriptis veracibus auctor Quo Brutus pacto reges exegerit urbe,

Unius ut multos audacia Coclitis hostes Moenibus exturbet, Porsennam terreat acer

Errore haud refugis ferientis Scaevara dex-

[trae.

Ipsa in femineo non languet pectore virtus, Et Tibrim tranat disrupt Cloelia vincis.

Dant patriae vitas Fabii (fortissima, quam-

[quam

Parva, manus), quorum generoso sanguine

[fluxit

Unda rubens Cremerae. Decius, tum Curtius

[ultro.

Perlege devoveant certo ut sua corpora letho. Si trepidat populus, Gallis urgentibus urbem, Ecce Camillus adest: is pacta resolvit iniqua,

Victor et hostili clarescit caede cruentus. Pyrrhi non acies, oblataque munera vincunt Fabricium; Curius, celebrat quem fama trium

[phis,

Divitias tecto contentus paupere temnit. Horrida passurus quamvis tormenta necem

[que

Regulus impavide repetit Carthaginis arcis; Cui mox ultores aderunt duo fulmina belli Scipiadae. Longum porro esset dicere quanta Romulidae adgressi pro libertate tuenda

Sint et pro patria; cui iam superare, ruenti In praeceps, magna est anima haud perpessa

[Catoni.

Plura in rem nostram iuvenis documenta

[latinis

Haurit ab historiis; tum a chartis plurima,

[Tulli

Summe, tuis, patrium quae spirant undique

[amorem.

Illa quidem stimulus sunt, illiciumque futura, Fortia quo proavum referant incepta nepotes. Illa igitur patriae studiosus noscere curet, Neve gravetur iners linguam perdiscere, pri-

[scis

Ausoniae ex opibus quae nobis unica restat. Increpat hîc quidam: Tantum subeamne

[laborem

Frustra, quum passim vulgata volumina pro-

[stent,

Quies eadem interpres valuit depromere sensa, Sedulus et studuit verbum prope reddere

[verbo?

Ut, si quis latices quaerat sibi forte salu-

[bres,

Ille petet scatebras, non rivos fonte remotos; Aut veluti, speciosa virum si femina cepit,

Hic erit haudquaquam contentus imagine,

[fido

Quamvis expressa speculo: sic nemo recenti Sanus posthabeat prisca exemplaria libro,

Lingua ubi maternis nimium vernacula formis Distat, et antiquum non reddit saepe vigorem.

Nitamur, Michaël, nostra ne aetate vetustae Interent penitus, sed restaurentur ut artes, Libera si spondent praesentes tempora Divi,

Quidni iterum latiae resonent nunc verba lo- [quelae,
Quae populi ingenium semper fatumque se- [quuta est?
Dum stetit incolumis romana potentia, man-

[sit

Et latii sermonis honos et gratia vivax:
Ut defecerunt veteris vestigia laudis,

Publica ut a saevis res est oppressa tyranis,
Gloria paullatim defecit pristina linguam.

Barbara tum gelida fremuit gens nata sub

Arcto,

Et ruit in gladios, aquilis infesta superbis,
Quas Roma extremas terrarum invexerat oras.

Tum vero alpinas ausa est transmittere cautes
Esuriem fugitans; infecundisque relicts,

Pinguibus Ausoniae coepit ditescere campis:
In sua non posthac depulsa est septa, iugoque

Excusso nostra heu! potuit supponere colla.
Nunc autem tantum si probrum denique ces-

[sat,

Itala si rursus contendit surgere virtus,
Surgat et eloquium pariter gravitate verendum,

Quo ius Roma dabat domito olim gentibus

[orbe.

Profecto Ronchinii votum maiore iure
ac merito est hodie efferendum!

**

Ne novi anni celebratio ex mea parte
omittatur, nonnullas **kalendarii curiositates** hic addam. Etenim non omnes sciunt
saeculum nullum feria iv, vi aut sabbato
incipere posse; idque procul dubio non
sine causa, quam tamen ipse ignoro.

Octobris mensis ex adverso eadem hebdomadis die semper incipit, qua mensis
Ianuarius; mensis Aprilis qua Iulius; mensis Decembris qua Septembries.

Februarius, Martius et Novembris mensis, omnes ex eadem hebdomadis die singulis annis originem ducunt; Maius, Iunius et Augustus, contra, diversis perpetuo diebus. Praeterea annus eadem hebdomadis die absolvitur, qua inchoavit. Hisce vero
regulis intercalares anni excipiuntur.

Denique anni iterantur, hoc est idem kalendarium renovant, post annos octo supra viginti.

Si igitur futurorum prudentia excelle cupitis, ne proiciatis kalandria..., neve petasum; dies enim redibit, vobis aut liberis vestris, in quo petasus idem idemque kalendarium in usum redibunt!

* *

locosa.

Tuccius de historia periculum facit.
Magister eum interrogat:

— Quid de Napoleone illo primo dixeris?

Tuccius tacet; instat alter:

— Ne eventum quidem unum circa tantum virum memoria tenes?

— Ah! teneo... illum mortuum esse!

In pago quodam de aëris temperie sermo est.

— Est igitur hīc aer saluberrimus?

— Magis quam ut credideris. Si hīc domicilium posueris, brevi fies centenarius!

* *

Aenigmata.

I

Sumo notas tres; servo duas, sed muto priores
[rem,

Quisque ut (ni caecus) nomina terna legat.

1 - Ante hanc procumbis, tendens ad sidera
[palmas.

2 - Insurgit cito, sed citius tu comprime
[flamas.

3 - Omnibus ecce adsunt, quae interdum
[muta loquuntur.

II

*Totus despicitur; polles primo; obstrepit
[alter.*

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MCMXX proposita his respondent:
1] Vulgo *Rebus: Praesepe*, 2] *Terminus*.

IOSFOR.

LIBRORUM RECENSIO

Musa Latina, auctore FRANCISCO SOFIA ALESSIO. — Vol. in 12, pag. 263, Neapoli, MCMXX, e typographia cui nomen « Elpis », via S. Sebastiano, p. 46. — Pretium libell. 10.

Lectoribus « Aliae Romae » optime notus est auctor, cuius plura carmina, in certamine poëtico Amstelodamensi magna laude ornata vel etiam aureo donata numismate, in hoc nostro Commentario inserta fuerunt. En eorum tituli: *Duo Magi, Vis electrica, Petronius, Plotinus, Duo Insonentes, Vita rustica, Vetus, Reliquiae, Sepulcrum Ioannis Pascoli, Pax natalicia, Ad heroas Italos*. Ex his *Sepulcrum Ioannis Pascoli* aureum praemium consecutum est, quo iterum praemio ornata fuit horna auctoris poësis, cui tit. « Ultimi Tibulli dies ». Hoc tamen postremum carmen serius Amstelodami vulgatum est, quam ut libro inseri potuerit.

E conspectu cuiusque carminis latini, interpretatio ponitur metrica italica, plerumque ab ipso auctore concinnata; quo e duplice labore singularis emicat poëtae in utraque lingua peritia et dicendi facilitas atque elegantia. Praeter versum heroicum, auctor etiam adhibet subinde modos lyricos non unius generis, eosque similiter nitide tornatos. — Volumen quoque, cui praefigitur auctoris effigies, nitidissimis typis in charta admodum firma ex officina prodit.

Liber iste, mea quidem sententia, lectu iucundus erit et fructu copiosus iis omnibus qui sermone latino delectantur; idemque optimum foret praemium alumnorum, qui in discenda lingua Vergilii et Horatii studiosiores sese demonstrarunt.

F. X. R.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS M